

tem priores quatuor è regione. 44. 45. 46. 47. eisque compares perscribantur ad viam laxiorem, quò & reliquæ plateæ, quæ ab aliis ducuntur areis vigintiquinque pedum laxitate, itidem liberè diducantur. Harum quamque arearum longitudine ad quadringentos pedes definitam, huiuscemodi numerorum characteribus mutuò distinguemus. 51. 50. 49. 48. à munitione capto exordio. Iam in reliqua planicie, quæ etiam nunc longitudine sexcentos circiter pedes, latitudine centum quinquaginta obtinet, quinta area <sup>52</sup> finienda est, vt longitudinis diametro quadringentos septuaginta quinque, transfuersa ceterum pedes fortiatur. Interim tamè expedita quoque platea, ad quinque supra viginti pedes laxa, decenter circuitur. In hac area, peno annonæque asseruandis destinatum attollemus ædificium grandius pariete depressiore, confirmabimurque ipsū solidioribus testudinū fornicibus. Ac per totā eius longitudinē subterranea agetur cella vinaria, vbi poculēta integra diutius asseruentur. In has ædes reponemus & sal, cæuum, adipēs, carnes, quæque id genus reliqua penum constituunt. Postremò vt vsui satisficiat ædificium, tabulatis quoque instruendum est pro habendis granariis, quò siligines, ordium, triticum, auenam, milium, pisa, lendes, & id genus cōsimilia reponamus, quæ rem frumentariam absoluunt. Sub hæc arearum quatuor 48. 49. 50. 51. in vicenas quaque ædes compares distributa, quam <sup>51</sup> numero distinximus, habitabunt bractearii, cataphractarii quique equiles soleas conficiunt. Quibus ex aduerso pro arce, ad aquam mola expoliendi vsui destinabitur. Aream. 50. inhabitabunt claustrarii, telorumque artifices & armorum, quæ nobilitas equestrisque ordo vel serio vel animi causa assuevit vsurpare. In reliquam huius areæ portionem id genus artificum referri debet, qui lebetes, pelues, sartagine, consimiliaque ex ære vascula procudunt. In 49. qua peluium artifices spectat, diducendi sunt qui ex stanno vasa conflant. Reliquum huius areæ possidebunt fribolarii, acicularii, quique fibulas, anfulas, & id genus minutias ex ære alioue metallo perpoliunt. Porro. 48. aream decenter habitabunt regii aurifices, pictores, statuarii, sericarii, phrygiones, denique & lapicidæ.

Postremò aliud quoque spacium ad regiæ fossam in. A. D. reliquum est, quod in octo areas diducetur, compares eis quas hisce numerorum characteribus, nimirum 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. suprà perscripsimus. Hoc enim modo assequemur, vt pro cella penuaria superet loci planicies, centum quinquaginta producta, in latum verò ad centum pedes expansa, vnde loci abundè suppeditabit, rebus ibi oportune peragendis. Iam ex quatuor. 55. 54. 53. 60. areis in vicenas singulis ædes ex æquo distributis, in. 55. 56. ita lanium carnarium ordinabitur, vt duplex officinarum ordo constitutur, quæ sese frontibus mutuò spectent. Ita enim singule tabernæ ad plateas binos angulos ab ædificationibus expeditos fortiētur. Atque laniorum insignia erunt securis. Reliquæ portiones vtrinque secundum lanii tabernas, in triginta sex quaque areolas cōpares secabitur. Præterea è regione lanii vtriusque medietates. 57. 58. arearum in viginti singulæ ædes distinguuntur compares. Cæterum mactatorum laniena extra mœnia ad aquas locabitur, tum vt aquæ facultas minimè desit eluendi intestina, tum vt sordium colluies influentum